

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level Two Medieval Latin Examination

18 April 2018

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. Adam of Perseigne bemoans loquacious monks and canons

Quid hic dicturi sunt quidam, tam monastici quam canonici ordinis professores, qui cum linguam et labia Dei Verbo dedicaverint, et se silentii disciplinae ex voti obligatione subdiderint, nihilominus assidue per multiloquium diffluunt, et laborant omnimodis ne teneant quod voverunt? Non est in ore eorum veritas, quia cor eorum vanum est. Nec potest munda veritas sedere in labiis quae loquuntur ex abundantia vanitatis. Ut enim ait Dominus Christus, Verbum omnipotens, “Ex abundantia cordis os loquitur.” Quid dicam de his qui venenum aspidum habentes sub labiis, saepe impudenter turpia proferunt, detractionibus venenatis inserviunt, mentiri, perjurare, contendere, perverse interpretari quidquid boni viderint in aliis nullatenus erubescunt? Sepulcrum sane patens est guttur eorum, et de sepulcro gutturis tot quasi mortuos efferunt, quot mortis exempla in aliorum perniciem proponunt, perversa loquendo, et eadem actitando.

2. Peter the Venerable seeks advice about an untimely bloodletting

Ex quo anno altero Cluniaci uidi uos, in corde meo uos semper habui et affectuose dilexi. Amplexus sum enim in uobis scientiam multam, amaui multo magis, qui et magis in omnibus amandi sunt, mores ut michi uisum est optimos. Vnde quia uos ut dixi diligo, a uobis quoque me diligi non diffido. Eapropter quaedam uobis ut amico nota facio unde consilium uestrum michi necessarium est. Soleo pene uno quoque anno morbum qui catarrus dicitur incurrere, hoc autem bis, semel in aestate semel in hyeme, aut circa eadem tempora. Contingit hoc anno in fine aestatis et a principio autumnus eundem me pati; habueram prius causas et colloquia plurima aestiuis mensibus cum nobiles terrae nostrae, propter quae minutionem sanguinis solitam, quam circa finem duorum mensium exercere solitus eram, longe ultra morem differe coactus sum, et quia morbus quem dixi in dilatione illa minutionis iam me inuaserat, non ausus sum exsequi quod solebam, nec cum a quibusdam audissem sanguine eo naturam occupante minutionem periculosam esse.

3. Walter of Wimborne on the vanity of the world

Mundi uolo uanitatem
et fortune leuitatem
breuiter describere,
que non habent firmamentum,
sed fugacem uincunt uentum
fugiendo propere.

Omnis honor temporalis
cito tanquam flos uernalis
disparere cernitur;
apud nullum diu manet,
sero uenit, cito uanet,
cito labi cogitur.

(Cont'd...)

Honor mundi transitiuus
et reuera fugitiuus
 est et certe lubricus;
est inanis et exilis,
breuis, leuis, uanus, uilis,
 mendax ac sophisticus.

Ut quid, ergo, diliguntur
hec terrena que labuntur
 et ut umbra transeunt?
Cur putamus hiis beari
que manere, que morari,
 que teneri nequiunt?

O quam fallax est fortuna,
que mutatur sicut luna
 diu stare nescia!
que nunc rapit, nunc largitur,
nunc insanit, nunc blanditur,
 nunc trux, nunc propicia.

Opes iste temporales
non sunt nisi tipicales
 et ymaginarie.
Qui rex heri uocabatur
quique stare uidebatur,
 ecce ruit hodie!

4. Conrad of Hirsau: A disciple and master discuss the admissibility of pagan authors

(Discipulus) Sed quid de ceteris auctoribus--Terentio, Iuvenali, Statio maiore vel minore, Persio, Homero vel Virgilio--censes accipiendum, in quibus secularis disciplina desudat, quia querit et reperit in his iuventus stolidi, quod suae vanitati ad tempus sapere probat?

(Magister) In his omnibus quos enumerasti quantus sive in verbis seu gravibus sententiis sit profectus disciplinae scolari studiosis, eorum est iudicare, qui scriptis ecclesiasticae disciplinae congruis multas eorum sententias probantur inseruisse.

(Discipulus) Si quod ais aliquomodo te probare constiterit, nihil mihi dubii super his remanebit; at non frustra crediderim candorem, immo faciem totius divinae scripturae testimoniis ethnicorum posse sordidari, si quis ea non timuerit sine ratione inserere.

(Magister) Ergone Moyses et prophetarum volumina abicienda sunt, quia verbis ethnicorum vel sententiis aliquotiens usi sunt? Quid est quod superius diximus, quia quicquid veritatis, quicquid iustae rationis in quovis homine inveniri umquam potuit, ab eo venit qui hominem creavit?

(Discipulus) Hucusque non patuit intelligentiae nostrae, si talia possunt inveniri inserta divinae scripturae.